

dictum est; nec leguntur de unctione chris-  
matis, vel præscripta verborum forma quic-  
quam docuisse. Hanc opinionem tenet aperte  
Alexand. Alens., 4 part., q. 24, memb. 1 et 2,  
art. 1; et S. Bonavent., in 4, dist. 7, art. 1, q. 1  
et 2, ubi ait, institutum esse, Spiritu Sancto  
dictante, ab Ecclesiæ rectoribus et aliis.

2. *Sacramentum confirmationis fuit a Christo  
immediate institutum.* — Dicendum vero est  
hoc sacramentum fuisse a Christo Domino  
immediate institutum. Hoc jam est de fide  
certum ex definitione Concil. Trid., ut supra  
late explicatum est, tractando de sacramentis  
in genere, et in speciali de hoc sacramento  
docuerunt hoc Concil. Mogunt., cap. 17, et  
Concil. Senonense, in decretis morum, c. 38,  
ubi dicit, hoc sacramentum fuisse primo a  
Christo institutum et ab Apostolis receptum.  
Et ratio est illa generalis, quia institutio sa-  
cramenti pertinet ad potestatem excellentiæ,  
quam solus Christus habuit. Item quia solus  
ipse potuit effectum gratiæ infallibiliter pro-  
mittere per signum sensibile. Oportet autem  
distinguere institutionem ab usu; et quidem  
verissimum est, Christum Dominum nunquam  
suis manibus dedisse sacramentum hoc, imo  
neque ante ascensionem ejus fuisse ab aliquo  
ministratum; cujus congruentem rationem  
adducit D. Thom., quia in hoc sacramento  
datur plenitudo Spiritus Sancti, quam dari  
non expediebat, donec Jesus esset glorifica-  
tus, ut dicitur Joan. 7; sed hinc nullum argu-  
mentum sumitur ad institutionem Christo  
negandam; non enim Christus omnia sacra-  
menta per se ministravit, quæ instituit, imo  
de nullo hoc expresse legitur in Scriptura,  
nisi de Eucharistia; et idem est de baptismo,  
saltem quoad aliquas personas, ut supra dic-  
tum est; de poenitentia vero, cum constet,  
Christum illam instituisse, cum Apostolis  
dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum re-  
miseritis peccata, remittuntur, etc.*, Joan. 20,  
certum tamen est, nunquam sacramentum  
illud administrasse; sic ergo dicendum est de  
confirmatione, sicut suo loco dicitur etiam  
de extrema unctione; de matrimonio vero id  
notum est; idem vero est de sacramento Or-  
dinis, nam licet Christus per se Apostolos  
ordinaverit, non tamen sacramentum Ordinis  
ministrando, sed altiori modo. Atque eadem  
ratione nihil obstat, quod Apostoli non fuerint  
confirmati per proprium signum visibile hujus  
sacramenti, quia Christus per potestatem ex-  
cellentiæ potuit eos altiori modo Spiritu Sancto  
replere sub alio signo visibili mirabili et

manifestiori, prout eo tempore fuit expediens  
ad inchoandam novæ legis promulgationem.  
An vero Apostoli usi fuerint hoc sacramentali  
signo ad confirmandum alios fideles, quo nunc  
Ecclesia utitur, vel sola manus impositione,  
dicemus commodius disput. sequent.

3. *Quando Christus instituerit hoc sacramen-  
tum.* — *Prima sententia.* — *Secunda senten-  
tia.* — *Tertia sententia.* — Occurrit autem sta-  
tim inquirendum, quando instituerit Christus  
hoc sacramentum; aliquibus enim visum est,  
et significatur in Concil. Senonensi, instituisse  
illud Matth. 19, quando oblatis sunt ei parvuli,  
ut manus eis imponeret et oraret, et cum disci-  
puli increparent eos, dixit eis Jesus: *Sinite  
parvulos, et nolite eos prohibere ad me ve-  
nire; talium est enim regnum cælorum.* Sed,  
quamvis gratis demus, ibi fuisse aliquo modo  
adumbratum hoc sacramentum, quod tamen  
ibi fuerit institutum, nullo fundamento affir-  
mari potest; ibi enim nulla promissio, nul-  
lum præceptum, nulla materiæ aut formæ  
designatio legitur, sine quibus sacramenti  
institutio esse non potest; item verisimile non  
est, Christum pueros illos confirmasse, quia,  
ut diximus cum D. Thom., decuit hoc sacra-  
mentum ante Christi glorificationem non mi-  
nistrari; et alioqui illi pueri nondum erant  
baptizati, neque ad hunc finem Christo offe-  
rebantur, sed ut ab eo benedicerentur, ut  
Hieron. dicit, vel ut curarentur, ut significat  
Anselmus. Alii ergo dicunt, Christum insti-  
tuisse hoc sacramentum post resurrectionem,  
cum Apostolis Spiritum Sanctum dedit insuf-  
flando, eisque dixit Joan. 20: *Accipite Spi-  
ritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, re-  
mittuntur eis.* Ita videtur significare Scot. in  
4, dist. 7, quæst. 1, in 1 object.; in solutione  
vero indicat, fortasse non fuisse institutum  
ante Christi ascensionem, neque toto illo tem-  
pore, quo Apostoli non fuerunt usi materia et  
forma hujus sacramenti. Sed hoc posterius,  
neque ipsi Scoto placet, neque est probabile;  
alioqui vel dicendum esset hoc sacramentum  
non fuisse immediate a Christo institutum,  
aut iterum ad terras descendisse ad institu-  
endum illud, vel certe in cælo existentem illud  
instituisse, et Apostolis per mundum dispersis  
revelasse, quæ omnia improbabilia sunt. Pri-  
mum vero etiam est valde incertum, quia in  
illo facto Christi nullum est hujus sacramenti  
vestigium; nam per illam insufflationem non  
est datus Spiritus Sanctus Apostolis ad robur,  
sicut datur in hoc sacramento, sed quoad po-  
testatem remittendi peccata, unde hic effectus

magis ad sacramentum Ordinis, quam ad hoc  
spectavit. In verbis etiam, quæ Christus pro-  
tulit, nullum est hujus sacramenti indicium,  
quia non est institutum ad remittenda pec-  
cata, sed ad gratiam augendam. An vero in  
aliquo sensu hoc verum sit, infra dicemus.  
Alii vero existimarunt sacramentum hoc fuisse  
institutum in die Pentecostes, quia tunc pri-  
mum Apostoli sunt confirmati; sed neque hoc  
habet probabilitatis conjecturam, quia, licet  
tunc Apostoli fuerint confirmati, non tamen  
per usum sacramenti, sed altiori modo; tum  
etiam quia in toto illo facto nihil eorum inter-  
cessit, quæ diximus esse ad institutionem sa-  
cramenti necessaria.

4. *Hoc sacramentum est institutum a Christo  
ante ejus ascensionem.* — *Instituta est confir-  
matio nocte Cænæ quoad aliqua.* — Mihi ergo  
certum esse videtur, Christum, prius quam  
in cælum ascenderet, hoc sacramentum in-  
stituisse, tum propter ea, quæ nuper circa  
Scoti sententiam dicebamus; tum etiam quia  
Concil. Trident. hunc sensum videtur inten-  
dere, quando sess. 7, can. 1, definit, omnia  
sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino  
nostro esse instituta. Denique quia Christus  
Dominus prius quam in cælos ascenderet,  
Ecclesiam suam fundavit, quoad potissima,  
quæ ad substantiam ejus et principalia fun-  
damenta pertinent, qualia sunt omnia septem  
sacramenta. De tempore autem, quo ante  
ascensionem hoc instituit sacramentum, licet  
res sit valde incerta, quia a sacris Historio-  
graphis non est memoriæ prodita, verisimilius  
tamen videtur, quoad promissionem, et Apos-  
tolorum instructionem, et præceptum illis  
datum de administrando hoc sacramento in  
futuro tempore, et de materia et forma, qua  
in illo uti debebant, totum, inquam, hoc fuisse  
a Christo Domino factum in nocte Cænæ;  
nullum enim tempus ad hoc aptius excogitari  
potest, præsertim cum ea nocte toties Spi-  
ritum Sanctum promiserit Ecclesiæ suæ et no-  
vum testamentum condiderit. Et, quod maxi-  
me urget, hoc aperte docet Fabianus Papa,  
epist. 1, cap. 1: *In illa, inquit, die Dominus  
Jesus, postquam cenavit cum discipulis suis;  
et lavit eorum pedes (sicut a sanctis Apostolis  
prædecessores nostri acceperunt, nobisque re-  
liquerunt) chrisma conficere docuit.* Ubi no-  
mine chrismatism, totum sacramentum in-  
telligere possumus, vel certe inde sufficiens  
sumitur argumentum, quod, sicut chrisma  
docuit conficere, ita etiam aliquos ritus, qui  
sunt de hujus sacramenti substantia.

5. *Quando Apostoli fuerint instituti sacer-  
dotes, quando Episcopi.* — *Quando perfecta et  
absoluta est confirmationis institutio.* — Atque  
hoc modo idem sumitur ex Cypriano in serm.  
de unctione chrisma, et significat etiam Clem.  
Papa, locis supra citatis, et inde forte manavit  
Ecclesiæ consuetudo conficiendi chrisma illo  
die singulis annis, de quo infra dicemus.  
Atque hanc sententiam significat D. Thom.  
ad 1, et sequuntur Soto, et Victoria in Summa,  
in materia de hoc sacramento, in principio,  
qui generalem regulam assignat, omnia sa-  
cramenta fuisse instituta ante resurrectionem,  
quia sunt instrumenta nostræ redemptionis,  
quæ in morte Christi consummata est. Quam  
etiam amplectitur Soto fere ubicumque in 4  
disputat de institutione sacramentorum, vel  
in genere, vel in particulari. Hæc tamen tam  
generalis doctrina videri jam potest hoc tem-  
pore suspecta, quia Concil. Trident. definit,  
Christum instituisse sacramentum poeniten-  
tiæ post resurrectionem suam, sess. 6, c. 14,  
sess. 14, cap. 1, ubi ait, illud sacramentum  
præcipue fuisse institutum, quando Christus  
dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum.*  
Ubi notanda est illa particula, *præcipue.* Nam  
hinc, ut minimum, certum esse existimo, tunc  
fuisse datam Apostolis potestatem ordinis ad  
absolvendum a peccatis, ut ex eodem etiam  
Concilio colligitur, sess. 23, cap. 1, et can. 1.  
Unde fit, ex illo tempore, cœpisse sacramen-  
tum illud esse veluti in eo statu in quo, et  
ab Apostolis dari, et a fidelibus baptizatis re-  
cipi posset; et ideo vere ac proprie dicitur,  
tunc fuisse institutum. Cum hoc tamen optime  
potest intelligi absque ulla repugnantia, quod  
Christus Dominus in nocte Cænæ instruxerit  
Apostolos de futuro sacramento poenitentiae,  
et quod illos constituturus esset illius sacra-  
menti ministros, eosque docuerit modum et  
formam, quam in judicandis et remittendis  
peccatis servaturi erant. Quod nunc exempli  
tantum causa dictum sit. Nam exacta ejus  
discussio suo loco tradetur. Ad hunc ergo  
modum intelligo confirmationis institutionem  
potius inchoatam quam perfectam esse in  
nocte Cænæ, seu in futurum potius traditam  
per instructionem, quam de præsentem per fa-  
cultatem et efficaciam datam; nam, ut infra  
dicitur, soli Episcopi habent potestatem ad-  
ministrandi hoc sacramentum; Apostoli autem,  
licet in nocte Cænæ fuerint ordinati sacerdo-  
tes, non tamen Episcopi, ut probabilius credi-  
tur, usque ad Christi resurrectionem; et ideo  
in nocte Cænæ non fuit in eo statu constitu-



tum, in quo posset et administrari et recipi; et hac ratione dicimus, non fuisse tunc plene institutum. Quoad hoc ergo dici potest institutum Joan. 20, quando Christus dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum*, etc., quatenus tunc Christus fecit Episcopos suos Apostolos, atque ita dedit illis potestatem conficiendi hoc sacramentum, supposita instructione præcepti et promissione, quæ prius in nocte Cœnæ eisdem tradiderat.

## ARTICULUS II.

Utrum chrisma sit conveniens materia hujus sacramenti (infra, quæst. 84, art. 1, ad 1; et 4, dist. 7, quæst. 1, art. 1, quæst. 1. 2; et 4 cont., cap. 60).

1. *Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod chrisma non sit conveniens materia hujus sacramenti. Hoc enim sacramentum, ut dictum est (art. præced., ad 1 argum.), institutum est a Christo promittente discipulis Spiritum Sanctum. Sed ipse misit eis Spiritum Sanctum absque omni chrismatis inunctione. Ipsi etiam Apostoli hoc sacramentum conferebant per solam manus impositionem absque chrismate. Dicitur enim Actor. 8, quod Apostoli imponebant manus super baptizatos, et accipiebant Spiritum Sanctum. Ergo chrisma non est materia hujus sacramenti, quia materia est de necessitate sacramenti.*

2. *Præterea, confirmatio quodammodo perficit sacramentum baptismi, sicut supra dictum est (quæst. 65, art. 3), et ita debet ei conformari, sicut perfectio perfectibili. Sed in baptismo est materia, simplex elementum, scilicet aqua. Ergo hujus sacramenti non est conveniens materia chrisma, quod conficitur ex oleo et balsamo.*

3. *Præterea, oleum assumitur in materia hujus sacramenti ad inungendum. Sed quolibet modo potest fieri inunctio, puta oleo quod fit ex nucibus, vel ex quibuscumque aliis rebus. Non ergo solum oleum olivarum debet assumi ad hujusmodi sacramentum.*

4. *Præterea, supra dictum est (quæst. 66, art. 3), quod aqua assumitur ut materia ad baptizandum, quia ubique de facili invenitur. Sed oleum olivarum non ubique invenitur, et multo minus balsamum. Non ergo chrisma, quod ex his conficitur, est conveniens materia hujus sacramenti.*

*Sed contra est, quod Gregor. dicit in Registro (lib. 3, cap. 9, a med. illius): Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus sacro*

*chrismate non præsumant. Ergo chrisma est materia hujus sacramenti.*

*Respondeo dicendum, quod chrisma est conveniens materia hujus sacramenti. Sicut enim dictum est (art. præced.), in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, quod competit perfectæ ætati. Homo autem, cum ad perfectam ætatem pervenerit, incipit jam communicare actiones suas ad alios, antea vero quasi singulariter sibi ipsi vult. Gratia vero Spiritus Sancti in oleo designatur, unde Christus dicitur esse unctus oleo lætitie, propter plenitudinem Spiritus Sancti quam habuit, et ita oleum competit materie hujus sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios, unde Apostol. dicit, 2 Cor. 1: Christi bonus odor sumus Deo, etc. Et licet multa alia sint odorifera, tamen præcipue accipitur balsamum propter hoc, quod habet præcipuum odorem, et quia etiam incorruptionem præstat. Unde Eccles. 24 dicitur: Quasi balsamum non mixtum odor meus.*

*Ad 1 ergo dicendum, quod Christus ex potestate excellentie, quam habet in sacramentis, contulit Apostolis rem hujus sacramenti, id est, plenitudinem Spiritus Sancti, sine sacramento, eo quod ipsi primitias Spiritus Sancti acceperunt, sicut dicitur Rom. 8. Nihilominus tamen aliquod conforme materie hujus sacramenti exhibitum fuit Apostolis sensibiliter in collatione Spiritus Sancti. Quod enim sensibiliter Spiritus Sanctus super eos descendit in specie ignis, ad eandem significationem refertur ad quam refertur oleum; nisi quod ignis habet vim activam, oleum autem habet vim passivam, in quantum est materia et fomentum ignis. Et hoc satis competebat; nam per Apostolos gratia Spiritus Sancti erat ad alios derivanda. Super Apostolos etiam Spiritus Sanctus descendit in figura lingue, quod ad idem significandum refertur, quod significat balsamum, nisi quod lingua per locutionem est communicativa ad alterum, balsamum vero per odorem, quia scilicet Apostoli replebantur Spiritu Sancto, ut fidei Doctores, alii autem fideles, ut operatores eorum quæ pertinent ad ædificationem fidelium. Similiter etiam ad impositionem manus Apostolorum et etiam ad eorum prædicationem descendebat plenitudo Spiritus Sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut et a principio descenderat super Apostolos. Unde Petrus, Act. 11: Cum captivum loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio. Et ideo non erat ne-*

*cessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus. Utebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionys. (cap. 4 Eccles. Hierar., in princ.): Est quædam perfecta operatio, quam duces nostri (id est, Apostoli) chrismatis hostiam nominant.*

*Ad 2, dicendum, quod baptismus datur ad spiritualem vitam simpliciter consequendam; et ideo competit illi sacramento materia simplex. Sed hoc sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritus Sancti, cujus est multiformis operatio, secundum illud Sap. 7: Est enim in illa spiritus intelligentie sanctus unicus, multiplex; et 1 ad Cor. 12: Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et ideo convenienter hujus sacramenti est materia composita.*

*Ad 3, dicendum, quod proprietates olei, quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo. Unde et ipsa oliva super frondibus virens, virorem et misericordiam Spiritus Sancti significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, et maxime habetur in usu, ubi haberi potest. Quilibet autem alius liquor ex similitudine hujus oleum nominatur; nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usu hujus, et quorundam aliorum sacramentorum.*

*Ad 4, dicendum, quod baptismus est sacramentum absolutæ necessitatis; et ideo ejus materia debet inveniri ubique. Sufficit autem, quod materia hujus sacramenti, quod non est tantæ necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.*

## COMMENTARIUS.

Chrismatis nomine D. Thom. plane intelligit compositum seu mixtum quoddam ex oleo olivarum et balsamo, ut aperte constat ex corpore articuli; ubi optimam congruentiam hujus materie adducit. De hoc ergo composito, non ratione unius, vel alterius partis, sed ratione totius, docet sine dubio D. Thom. (quidquid Cajetanus dicat) esse necessariam materiam hujus sacramenti, non minus, quam sit aqua necessaria ad baptismum, ut plane colligitur ex solutione ad 4 et ita, quod attinet ad litteram et sensum D. Thom. nulla est

difficultas. Quam sit autem certa ejus sententia, statim disputabitur.

## ARTICULUS III.

Utrum sit de necessitate hujus sacramenti quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum (4, dist. 7, quæst. 1, art. 2, quæst. 2).

1. *Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non sit de necessitate hujus sacramenti, quod chrisma, quod est materia hujus sacramenti, fuerit prius per Episcopum consecratum. Baptismus enim, in quo fit plena remissio peccatorum, non est minoris efficacie, quam hoc sacramentum. Sed licet quædam sanctificatio adhibeatur aquæ baptismali ante baptismum, non tamen est de necessitate sacramenti, quia in articulo necessitatis præteriri potest. Ergo non est de necessitate hujus sacramenti, quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum.*

2. *Præterea, idem non debet bis consecrari. Sed materia sacramenti sanctificatur in ipsa collatione sacramenti, per formam verborum, qua confertur sacramentum, unde et August. dicit (tract. 80 in Joan., a med., tom. 9): Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Non ergo debet prius chrisma consecrari, quam hoc sacramentum tradatur.*

3. *Præterea, omnis consecratio, quæ fit in sacramentis, ad consecutionem gratie ordinatur. Sed materia sensibilis, confecta ex oleo et balsamo, non est capax gratie. Ergo non debet ei aliqua consecratio adhiberi.*

*Sed contra est, quod Innocent. Papa dicit (habetur de Consecrat., dist. 4, cap. 119): Presbyteris, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere liceat, quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solum debetur Episcopis, cum tradunt Paracletum. Quod quidem fit in hoc sacramento. Ergo ad hoc sacramentum requiritur chrisma per Episcopum consecratum.*

*Respondeo dicendum, quod tota sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur, ut supra dictum est (quæst. 64, art. 3). Est autem considerandum, quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream Christus est usus, scilicet baptismo et etiam Eucharistia. Et ideo ex ipso usu Christi, materie horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Unde Chrysost. dicit (refertur de Consecr., dist. 4, cap. 101, Nunquam) quod nunquam aquæ baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu*